

est signum sudoris, expectet operationem naturae, A non cogatis naturam, nec impediatis eam cum vetero importuno auxilio. Quod si vrinæ prouocentur, poros iuuetis, q[uod]a natura est prudentissima, & forma vniuersalis, regens omnes partes animalis, & multò prudentior vobis. Ergo post syrupo exhibendum caucatis ab illis erroribus, semper sitis naturæ adiutores, & quod natura tendit iuuate, & non impedit, iuxta Hippocratis illud: Quod natura tendit. Secunda decoctio. Id lignum quod primò decoxit, illam vnam lib. secundò decoquatus, adhuc habebit magnas vires, & non habeatis tantam diligentiam ut prius, 24. lib. etiam sumantur: si olla non sufficit, etiam duæ sumendæ, ut ad 4. partem decrescat, fortissimam expressionem faciat. Hoc pro potu sumat, quia erit dulcior, melius tamen ut purum sumat: si ingratum ei erit, parum sacchari addatur, quod fieri potest.

Victus ratio.

Cibus limitandus, si fert victus tenuissimus, per virium tamē ratione, per 40. dies hoc lignum dabitur, & magis in ultimis sciatis hic morbus resistit. Ego ita soleo facere, primis 8. vel 10. diebus semper do carnem vel pulli iunioris, aues paruas, vel carnem hœdi non habentem superfluitatem, & hos in parua quantitate, quandoq[ue] plus, quandoq[ue] minus pro viribus & consuetudine ægri. Panem primis diebus dimidium do, q[uod] consuevit sanus comedere. Vinum dilutum pauciferum in primis quandoq[ue] do. Transactis 10. diebus, à carne & vino paulatim detraho, & nihil sumat nisi decoctum secundum, & panem solum, & quia aluum adstringit: pane solo & vua passa dulci tenetur venter laxior, cuius comedat 3. j. vel 1j. vel 1ij: & vir robustus 1j. vel 1ij. 3. panis. Bis coctus panis conuenit ei, est enim fermentatus, optimè nutrit, quia totum aqueum, spongiosum euanuit: non habet excrementum aliquod, quia benè fermentatus, & in parua mole multæ substantiae tenuis ad tres dies hominem. Postea paulatim & natura ager, vel per vrinæ, vel per secessum. quod si ad quartum diem natura ager, non mutetis. Ma le faciunt, qui per 3. j. panis cum passulis in principio ægris exhibent, & postea coguntur plus exhibere, quia debiles redduntur.

De alio nouo ligno ex India allato Venetiis,
Anno, 1543. Mense Aprili.

Allatum nunc est aliud lignum ex India Venetiis, quod contra morbum Gallicum est bezoarticum. Credo esse hoc lignum schoenæ: id est, iuncos radicum cuiusdam cannæ: apparent enim esse radix cannæ in India, vbi ex intermedio vnius cannæ etiam nauiculae sunt, tantæ sunt proceritatis: insipidus est gustus, vt solet esse cannæ. Stud decoctum etiā valde confert in morbo Gallico. Nunc Venetiis Cornelius Magnus accepit, videbimus effectum: si erit bonum, semper felicius succedet hoc nouum lignum. Et si habetis curam totam & integrum morbi Gallici, quæ nobis honorem & argentum conflabit. Hæc Monnus Patauij in Hospitali S. Franc. legebatur, exercēt scholares in practica. Anno 1543. Mense Aprili.

Consilium in quo morbi Gallici atq[ue] omnium propemodum proprietatum eius symptomatum, ac præcipue Rhagadum curatio ostenditur, datum illustrissimo Galeoto Pico Mirandulano Principi, Anno 50. mense Iunio.

Ex Italico Latinum factum, per Hieronymum Donzell.

LIV STRISSIMA E dominationis vestre corpus neque in membris suis, neque in omnibus ætatibus, eisdem affectibus, sed longè diuersis obnoxium fuit. Membrorum quidem præsens status huiusmodi est, ut cum reliquæ actiones omnes integræ sint, ac recte valeant, in infima tñ recti intestini parte, ac exitu, multiplice (ut postea dicetur) morbo infestatur. In diuersis etiam ætatibus, alijs atque alijs affectibus fuit exagitatu, & ita fuit comparatum **C** vt facilè mutari atque alterari posset. Cum igitur vestræ valetudinis nobis proposita sit cura, omnes illi affectus varij atque multiplices, quibus aut iam laborat, aut ne in posterum redcant, est verendum, distinguendi mihi necessario videtur: id quod ex multis quibus antea Illustrissima vestra dominatio vfa est cōsilijs, facilè intelligetur. Ab eo igitur, qui nunc infestat, morbo initium sumam, quem etiam cæteris omnibus, quibus iam din est conflictata, leuiorem esse, ipsamet confitetur. Quoniam autem (ut dictum est antea) omnes actiones, vnicæ excepta, sunt integræ, illa in præsens omissa, quomodo reliquæ in sua integritate conseruari debeat, explicabo. Recta vero earum valetudo minimè conseruari potest, nisi à lapsu membra præseruentur, quæ in hoc corpore inæqualiter admodum sunt temperata, & ut turbam aliquam faciant, ac sibi inuicem aduersentur præparata. Ut autem in singulorum particulatum natura explicanda insistam, & cor & hepar insigñem habere à natura caliditatem affirmo: id vero tum ex eorum actionibus, tum ex his quæ ab illis efficiuntur, satis appareat: ea autem quod aperita admodum sint, breuitatis causa nunc prætermitto. Hepati tamen alia quoque aduentitia qualitas est adiuncta: ea ex Gallico morbo originem duxit, & peculiarem quādam vim hepati adiungit, qua humores ac sanguinem exurit, ac eos semper magis ac magis exassat. Ea autem vis non idem in omnibus efficere solet: si quidem in hepatæ natura prædicto calidiore, multò est deterior & magis metuenda. Quare cum V. dominationis hepatis huiusmodi sit, natura scilicet calida, deinde lue etiam Gallica infectu, prauum & exustum sanguinem perpetuò generari est necesse: unde etiam fit, vt inde geniti spiritus, eius sanguinis naturam seruent, potissimum autem cum in corde gignantur, in quo calorem immoderatum esse iam diximus. Huius autem rei plurima sunt argumenta. Primum enim spiritus esse calidiores ac feruere, indicio est frequens illa excandescencia & inflamatio, sine villa occasione: ac ephemera corripi febre: capitis calefactio, & insignis sæpe rubedo, vt ipsa quoque alba oculi tunica rufa.